3829 Prawo.

23

7.

Szafka VII^ta

Stan: Augusta

Oratio
ad
Stanislaum Augustum R.P.
per
Antonium Eugenium Legatum
Varsavie habita.
1766.

4to

ANTONII EUGENII VICECOMITIS
ARCHIEPISCOPI EPHESINI
SANCTAE APOSTOLICAE SEDIS
LEGATI
AD
SERENISSIMUM ET POTENTISSIMUM
POLONIAE REGEM
STANISLAUM AUGUSTUM
ET
INCLYTOS ORDINES
IN
REGNI COMITIIS
SOLEMNITER CONGREGATOS
ORATIO
HABITA VARSAVIAE
PRIDIE IDUS NOVEMBRIS ANNO MDCCLXVI


C. R. BIBLIOTHE
VNIV.
CRACOVIENSIS





REſpicienti mihi ſaepenumerò (Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Celeberrimi & Nobiliſſimi Ordines) Reſpicienti mihi ſaepenumerò, totumque praeteritae vitae meae curriculum ſtudioſâ quadam recordatione obeunti, nulla profectò ſeu jucundior, ſeu reverà melior ejuſdem pars occurrere conſuevit, quàm poſtremum hoc ſeptennium apud inclytam gentem veſtram felici, fauſtoque omine exactum. Graviſſimo ſiquidèm Pontificii Legati munere ornatus, atque perfunctus, non in eam modo regionem tranſlatum me ſenſi, ubi comitas, hoſpitalitas, antiqua morum ſinceritas mirum in modum eluceren, ſummoque haberentur in pretio, verùm etiàm ubi avita Religio caeteris virtutibus longo intervallo anteiret, Catholicae puritatis nitorem, & decus ingenti gloriâ praeſeferret, flagrantiſſimo denique ſtudio a cunctis ordinibus coleretur. Quae ſcilicet eximia, nulliſque laudibus ſatis extollenda propenſio veſtra cum & ſanctiſſimis mei Principis curis, & praecipuo miſſionis meae conſilio egregiè reſponderet: equidem geſtiebam animo, mihique ſummoperè gratulabar in ea me incidiſſe tempora, quae rei bene ac naviter gerendae viam quaſi ſternerent, & paratiſſimos aditus patefacerent. Sed eheu! (a) *Quomodò repentè obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Quam denique ſub ipſo meae Legationis exitu exoriri video tempeſtatem, quas nubes Polonum hoc coelum obruere, quos fluctus Petri naviculam circumagere? Exhorreſcit animus, Sereniſſime Rex, Sapientiſſimi Legiſlatores, exhorreſcit ſanè, & refugit animus quotiès mecum ipſe recogito, heterodoxos homines non modò mitiſſimè a vobis exceptos, ſed & in ſinu veſtro enutritos, ſub umbrâ alarum veſtrarum protectos, maximis beneficiis devinctos, novas res hodie moliri, omnia miſcere, in manifeſtam Religionis perniciem conſpirare, exterorum opem ad obtinenda quaecunque cupiunt palàm expoſcere. Jam vero quem ſenſum Beatiſſimo Patri Noſtro Clementi Tertiodecimo Poloni nominis apprimè ſtudioſo fuiſſe cenſetis cum haec audiret? Id ego vobis ſanctè affirmare queo, ſupremum illum totius Eccleſiæ Paſtorem triſtiſſimi nuncii moerore adeò fuiſſe perculſum, ut nihil unquàm paternis viſceribus acerbius expertus fuerit, mihique conceptis verbis mandaverit, ut veram Religionem in tantum diſcrimen adductam & quantâ poſſem animi contentione tuerer, & vobis omnibus quàm enixiſſimè commendarem. Quò igitur Pontificiae ſollicitudini & pro publico Legati officio, & pro maximo rei pondere ſolemniter ſatisfacerem, in conſpectu Regiæ Majeſtatis, in iſtâ Comitiorum frequentiâ, & celebritate Catholicam cauſſam dicturus hùc acceſſi, confidens fore, ut Pater Luminum mihi det os, intellectum, ſapientiam, forti-

(a) Jerem. Thr: 4. a. 1.

titudinem ad exploratam pietatem veſtram adverſus omnes Diſſidentum conatus opportunè communiendam.

Tametſi Polonicos Annales cum perlego plurima ad Nationis honorem, & incolumitatem praeclarè cogitata, geſta, ſancita admirari contingat, quae ſapientiſſimam teſtantur rerum veſtrarum adminiſtrationem: nihil tamen conſultiùs reperio ſaluberrimis legibus ad ſervandam Catholicæ Religionis integritatem & conditis, & confirmatis. Ac reverà illud peculiari quadam Omnipotentis Dei Providentiâ uſuveniſſe arbitror, ut nullae viciſſitudines Perſuaſionem veſtram evertere, aut e Regni faſtigio deturbare valuerint. (b) *Verè digitus Dei, verè digitus Dei eſt hic!* Quis enim neſcit, totum finitimum Septentrionem omnigenis erroribus jam pridèm corruptum, vitiatam ſacrorum diſciplinam, deletam Romani Pontificis auctoritatem, ingentem opinionum licentiam longè latèque graſſantem? Quis neſcit ipſam hanc Poloniam aliquandò & civium, & exterorum proterviae patuiſſe, quorum erat omnium mira impunitas? Quicunque aut ob crimen, malumque in Religione ſenſum patriâ ejectus fuerat, aut ne legibus coerceretur, ſponte ſe ablegaverat, ille in Poloniam veluti in aſylum ſe recipiebat. Ex Germaniâ, ex Galliâ, ex Italiâ perditiſſimi corruptores aderant, ac prohibente nemine, & inaniſſimo quoque dictis applaudente, ſua ſomnia venditabant, profligataſque doctrinas in vulgus effundebant. Sed in eo præſertim Nationis veſtrae virtus enituit, ut neque iniquitate temporum, neque finitimarum gentium exemplo, neque novarum opinionum contagione in tàm periculoſâ caeli plagâ afflari ſe, abripique pateretur. In eo divina Providentiae virtus enituit, ut quaecunque ex potentiſſimis hujuſce Regni Familiis a verâ Religione miſerandum in modum deſciverant, eae vel penitùs extinguerentur, vel maturè reſipiſcerent, atque ad novam lucem emergerent. Vos verò ubi Religionem veſtram e vadis, ac ſcopulis circumjacentibus liberam praeſtare potuiſtis, praeteritis periculis edocti quomodò ſartam, tectamque cuſtodiretis diligentiſſimè cogitaſtis. Hinc optimae illae Conſtitutiones, quae inter immutabiles Sereniſſimae hujus Reipublicae Canones principem locum obtinent, eximiae Conſtitutiones ad Fidei tutelam, nimirùm ad Populi ſalutem, quae ſuprema lex eſt, ordinatae. Hinc perpetua illa veſtra ergà ſanctam Romanam Sedem obſervantia, quâ nempe apud omnes Chriſtiani nominis gentes inclareſcitis. Hinc indelebilis illa veneratio, quâ Summorum Pontificum Decreta divinas res reſpicientia, veteremque diſciplinam firmantia vobis ultrò accipienda eſſe intellexiſtis. Quo fit, ut non Reges tantummodò veſtri pulcherrimam *Orthodoxorum* appellationem jure optimo impetraſſe dicendi ſint, ſed & tota generoſa Natio Polonica eodem nomine inſigniri, & nuncupari mereatur. Numquid ergò in hodiernis calamitatibus animum deſpondebitis, vobiſmetipſis minores eritis, gloriamque tot ſeculis partam indecorè elabi ſinetis? (c) *Numquid vobiſcum abbreviata eſt manus Domini?* Eja (d) *induite vos armaturam Dei;* agitur enim, mihi credite, agitur de ſummâ rerum. Petunt Diſſidentes aequalem in hoc Regno cum Catholicis conditionem; vobiſcum in hoc Senatu aſſidere connituntur; Reipublicae munera, honores, dignitates affectant; liberum Religionis exercitium, cujuſcunque tandèm furfuris ea ſit, ſibi concedi contendunt; diſſoluta Sigiſmundi Auguſti tempora, quorum memoriam ex annalibus veſtris deleri expediret, ad hanc aetatem revocare, ac veluti quoddam morum exemplar poſteritati veſtrae commendare vellent. Quid quaeſo, quid exitioſius excogitari poteſt, quàm noviſſimae iſtae Diſſidentum petitiones? Quanquam quid dico petitiones? Jam ab ipſo hujus orationis exordio non ſupplices petendi vias inſiſti, ſed maximas excitari turbas, ſed imperioſâ qudam ratione vobiſcum agi accepiſtis. Enimverò nullum non lapidem movent, nihil reliqui faciunt hi Catholicae Religionis adverſarii, ut quid-
quid

(b) Exod. 8. c. 19. (c) Iſaiæ 50. a. 2. (d) Epheſ. 6. 11.

quid valdè volunt, cumulatè consequantur. Quod si vos faciles, si timidos, si perperàm cautos, si propositi parùm tenaces invenerint, adeò ut suffragia vestra corripere, aut extorquere possint, jàm nunc dico: vae vobis, vae filiis, vae nepotibus vestris! Cavete enim, per Deum cavete existimetis, majestatem Catholicae Religionis vel imperantis diù stare posse, si Luthero, si Calvino, caeterisque Heterodoxorum antesignanis januam aperueritis. Equidem mihi videre videor priscae sanctitatis instituta omnia seu vi sublata, seu novorum rituum opprobriis inquinata, & polluta, quemadmodum & aliis Europae regionibus, quas opus non est memorare, fataliter evenisse legimus, etsi fortassè leviora essent morbi principia. Video multitudinem in contraria studia diductam, & multiplici Cultûs specie implicitam a recto Fidei tramite miserrimè deerrare. Quid plura? Novos homines in his vestris subselliis mihi videre videor falsorum quidem dogmatum praejudiciis imbutos, sed ingenio, gratiâ, divitiis, rerum usu pollentes, qui fortunae & audaciae intemperantiâ elati non modò Jura, quae Catholicis favent, infringere, vel abrogare, sed & progressu temporis viam sibi ad Regnum quaerere non dubitabunt. Sed quamvis etiàm Dissidentum ambitio, dimissâ odiosissimâ illâ aequalitate, moderatiùs procedere videretur, iterùm vobis dico: cavete. Cavete, & vigilate ne Religionis vestrae candor vel minimâ labe tangatur; probè enim calletis quàm sit pura, quàm sancta, quàm intemerata, quàm denique ab omni vetiti Cultûs consortio aliena. Quapropter non modò publicum damnatarum Religionum exercitium a Regno vestro totis viribus eliminandum esse decernetis, sed ne aedes quidem privatas, quae *Oratoria* vulgò nuncupantur, Dissidentibus concedi posse arbitrabimini. Quid enim est aliud, amabo vos, haec ipsa Oratoriorum concessio, nisi mera Catholicae Religionis, legumque ab eâ praescriptarum violatio? Quid est aliud heterodoxis ministris concionem e suggestu permittere, nisi iis falsae doctrinae validiùs insinuandae potestatem facere, quamobrem & eorum auditores errorem ardentiùs depereant, & veritati pertinaciùs adversentur? Quid est aliud profanam *Coenae*, uti vocant, celebrationem tolerare, nisi eosdem Ministros ad sacrosanctum Eucharistiae Mysterium mimicè contaminandum quodammodò allicere? Cavete igitur, iterùm, ac tertiò cavete, & vigilate; illudque rectè perpendite, Religionem vestram non modò pravos actus reprobare, sed & omnes homines, qui pravis actibus quomodocunque ansam praebent, condemnare; non tantùm varias Dissidentum sectas, sed & quoscunque Dissidentum fautores abominari, tametsi non intimâ erroris persuasione, aut dilectione, sed aliis humanis impulsibus incitatos. (e) *Nolite quæso Fratres mei, nolite hoc malum facere.* Praeterquam quod si haec *Oratoria*, quod Deus avertat, a vobis permitterentur, putatisne idcircò Dissidentes eâ moderatione usuros, ut nihil imposterùm postulaturi essent? Toto caelo erratis quicunque id creditis, neque callidorum hominum ingenium satis perspectum habetis. Ego verò etiàm eâ de caussâ nihil Dissidentibus concedendum autumo, quia nempe si vel unum hodie concedetis, nullum deinceps petendi finem a Dissidentibus fieri videbitis, qui facilitatem vestram semel experti, eò alacriores, novisque instructi auxiliis ad oppugnationem revertentur, nihilque a se impetratum reputabunt, dùm aliquid superfuerit impetrandum. Neque profectò vellem, ut quispiam vestrûm speciosâ nescio quâ felicitatis imagine illectus ex proposito Dissidentum incremento mutatam Poloniae faciem, Civium frequentiam, Artium culturam, uno verbo publicum bonum liberaliter sibi polliceretur. Videte, si me auditis, diligentiùs videte quo loco sint res vestrae. Hodiernum Poloniæ statum introspicite, & enucleate. Perpendite an verisimile sit, eos, qui Dissidentum caussam potenter patrocinantur, magis de vobis, quàm de semetipsis esse sollicitos. Animadvertite, an prudenter sit expectandum, Dissidentes, qui nunc tempo-

 ris

(e) Genes. 19. 6.

ris Regnum hoc vestrum tantoperè divexant, tranquilliores apud vos fore cum & numero, & opibus, & auctoritate florentiores evaserint. Exquirite tandèm an vera Populi felicitas, & intestina discordia bene conveniant, unâque in sede morari possint. Verumtamen demus ex hac Religionis libertate evidentem in res vestras derivari posse utilitatem; numquid propterea immortalis vitae lucrum caducis emolumentis posthabendum esse statuetis? (f) *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae verò suae detrimentum patiatur?* (g) *Multa quidèm bona habebitis, si timueritis Deum & recesseritis ab omni peccato,* & Majorum vestrorum Religionem intactam servaveritis, in cujus conspectu sordent omnes divitiae. Caeterùm quaecunque impendeant pericula (h) *viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino; Dominus enim dissipat consilia gentium.* State animis, bonâque spe fulti cunctas Dissidentum machinationes consilio, pietate, fortitudine evertere studete. (i) *Si videtur difficile in oculis populi, numquid in oculis meis difficile erit? dicit Dominus.* Non ego vobis ut Dissidentes vel opprimatis, vel persequamini auctor ero, cum eos Legum vestrarum patrocinio perfrui jam pridèm noverim. Bonos ipsi cives se praebeant; jura, quorum tutelam efflagitant, venerentur, & colant; Catholicam Religionem omninò perturbare desinant; vos verò vicissim, quae legitimè polliciti estis, quaeque vestram mansuetudinem consulentes ad Dissidentum commodum sanxistis, religiosè, diligenterque servate. Porrò unum exoro, unum est necessarium, ne videlicet illis quidquam ulterius concedatis. (k) *Ne transgrediamini terminos antiquos, quos posuerunt Patres vestri.* Id cunctis Ordinibus in hoc amplissimo Senatu congregatis etiàm, atque etiàm commendo, Tuamque in primis auctoritatem imploro, Stanislae Auguste Rex, in quo nempe totius Nationis oculos defixos conspicimus. Cum enim propter maximas tuas, & omninò regias virtutes, incredibilem animi praestantiam, miram ingenii vim, intimam patriarum legum peritiam, luculentam doctrinae omnis cognitionem ad summum hunc Majestatis apicem totâ Poloniâ, vel potiùs Europâ acclamante, evectus fueris, quàm multa abs te postulentur, quàm praeclara; quid tibi, quid Populo tuo debeas satis profectò vides. Ac reverà perbrevi unius biennii spatio beatam hanc Rempublicam eâ sagacitate, eo successu administrasti, ut sexcentis in eandem collatis sive ornamentis, sive commodis, communem expectationem vicisse potiùs videaris, quàm exaequasse. Decora, fateor, & valdè commendabilia magnanimitatis tuae monumenta, Serenissime Rex; at verò difficillimis hisce temporibus maximum tibi paratur & constantiae, & gloriae periculum. (l) *Quia diligit Deus Populum suum, idcircò posuit te Regem suprà eum,* ut Catholicam Religionem in tantâ rerum perturbatione tibi manus tendentem sinu tuo peramanter suscipias, ab omnibus, & singulis Dissidentum ictibus quàm validissimè defendas, nihil, plane nihil ex ejus nitore, ac puritate detrahi, nihil in ejus detrimentum emanare patiaris. Quanquàm quid opus est, ut Orthodoxae Majestati Tuae eximiam tantae rei necessitatem fusiùs ostendere laborem, cum me totiès familiari colloquio humanissimè adhibitum de integerrimis animi tui cogitationibus ultrò certiorem feceris? Memini, piissime Rex, ingenti cum voluptate memini quàm disertè sincerissimum tuum ergà Apostolicam Sedem obsequium, peculiaremque ergà regnantem Xpi Vicarium, & optimo Filio dignam benevolentiam mihi significaveris. Memini, te mecum de reconditioribus Fidei nostrae mysteriis adversùs minutos hujus aetatis philosophos peracutè disserere solitum, ut quam corde tuo sanctè colis Catholicam Religionem, hanc intellectu, & ratiocinio arctiùs arctiùsque complecterere. Sed quaenam evidentior Fidei tuae demonstratio, quàm quae mihi proxi-

mo

(f) Matth: 16. 26. (g) Tob. 4. 23. (h) Psal. 30. 25.
(i) Psal. 32. 10. (k) Prov. 22. 28. (l) 2. Paralip. 9. 8:

mo superiore Interregno tàm luculenter emicuit? Cum enim invidiosus quidam rumor tunc temporis percrebuisset, te ad quorundam Principum amicitiam faciliùs captandam, tuique studium latiùs in Poloniâ propagandum, Dissidentum partibus impensiùs favere, nobilissimâ incensus indignatione in hanc sententiam me alloquutus fuisti: *Ego verò malevolis, & obtrectatoribus meis, qui mihi iter ad Regnum intercludere conantur, reliquas artes lubentissimè ignosco, hodiernam tamen notam, quam mihi calumniosè inurunt, tolerare prorsùs nequeo. Si enim tàm obliquo tramite ad summam potestatem mihi pergendum foret, profectò mortem oppetere, quàm imperium adire mallem, ut nempe veram Religionem, quam & interiore, & exteriore cultu constanter profiteor, totius mei sanguinis effusione testarer.* O egregios, verèque Catholicos sensus, quos ex amplissimo hoc loco elatâ voce repetere & praedicare gestio, ut nimirùm intelligat tota Natio quem, & quàm religiosum sibi nuncupaverit Regem! Id sanè intellexit, deque felicissimâ electione jàm tùm sibi gratulata fuit, cum ad aras provolutus supremo Regum Regi *Pacta Conventa* solemni jurejurando sponderes, gloriosa Serenissimae hujus Reipublicae Pacta, quorum illud praecipuum: *Catholicam Fidem, ejusque Jura sine ullâ exceptione servare;* alterumque huic affine: *nullis muneribus, nullis privilegiis Dissidentes augere.* Id intellexit, sibique iterùm gratulata fuit, cum terribile illud sacramentum tàm fervidâ ad Populum oratione confirmasti, ut rivos lacrymarum eliceres, omniumque animos potentissimè permisceres. Id etiàm nuperrimè intellexit, sibique gratulata fuit, cum hanc ipsam Religionis caussam in hoc Senatu eloquentissimè propugnatam & splendidis verbis, & manifestâ approbatione excepisti. Quid igitur superest, Serenissime Rex, nisi ut eximios sensus abs te totiès, tantoque cum apparatu promulgatos in hodiernis Catholicae Religionis angustiis fidelissimè comprobes, omnemque Dissidentum spem omninò praecidas? Verum ab egregio ac bene animato Principe tempus jàm est ad vos orationem meam convertere, praevalida Ecclesiae Dei propugnacula, spectatissimi Antistites, quos duplici ingenti munere cohonestatos suspicimus, Sacrorum nempe perficiendorum, & Reipublicae procurandae. Estne quidquam seu coràm Deo, seu coràm hominibus hac potestate vestrâ pulchrius, aut honorificentius? Sed quandoquidèm tùm ad Ecclesiae, tùm ad Reipublicae clavum sedetis, eò vos ad tantum onus sustinendum oportet esse fortiores. Summus quidem Pontifex quàm praeclarè de vobis sentiat, quantàm in vestrâ prudentiâ, pietate, constantiâ fiduciam collocet, vobis etiàm postremò non obscurè significavit. Vestrum est bene conceptam ab illo spem & idoneo sermone, & rectè factis diligentissimè implere. Absit, absit, ut quemquam vestrûm seu privatae utilitatis studio corruptum, seu flagitioso discordiae spiritu afflatum suspicer. Una auctoritas, una Fides, una voluntas vos ducit; uno agmine adversarios vestros adoriendos esse cognoscitis, uno impetu eorum audaciam infringendam, conjunctis viribus infectas pecudes a purissimo Jesu ovili repellendas. Jamque ego in ardore vultuum vestrorum inflammatos animos vestros, & verè igneam sollicitudinem conspicio. (m) *Aemulamini* ergò, Pastores optimi, *aemulamini* hoc tempore *charismata meliora;* (n) *in doctrinâ, in integritate, in gravitate bonorum operum exempla praebete;* (o) *clamate, ne cessètis, quasi tubae exaltate vocem vestram;* (p) *praedicate verbum, instate opportunè, importunè arguite, obsecrate, increpate;* (q) *ita loquimini non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda vestra.* Neque sanè a vobis, Amplissimi quotquot adestis


 Polo-

(m) 1. Cor. 12. 31: (n) Tit. 2. 7. (o) Isai. 58. 1.
(p) 2. Tim. 4. 2. (q) 1. Thess. 2. 4.

Poloni hujusce Senatûs Patres Conscripti, minora quàm ab ipsis Episcopis in hoc Religionis discrimine expectamus. Praetermissis enim luculentissimis argumentis, quae vos ad tuendam libertatem vestram omnemque perniciosae indolis innovationem ab hac patriâ propulsandam excitare debent, nonne illud exploratum, & compertum habemus, nihil vobis antiquius esse, quàm honorem vestrum pro aris, & focis sustinere? Nonne scimus honorem hunc ipsum in Fide a Majoribus vestris acceptâ potissimùm statui, quam ad extremum vitae spiritum illibatam servare, illibatam Filiis vestris tradere vovistis? Profectò (r) *quaerentes primùm Regnum Dei terrena omnia bona vobis adjici sentietis;* (s) *vobis boni Legislatores eritis; vobis Consiliarii fideles manebitis; Deus autem, qui universo mundo dominatur, dabit vobis sapientiam, scientiam, intelligentiam, cognitionem;* (t) *eritque in latere vestro.* Vos denique, vos omnes unâ voce compello, qui nobilissimum Equestrem Ordinem in solemni hoc Polonae Reipublicae Consessu repraesentatis, eximii Legati, vos oro, obtestorque, ne Religionem vestram quomodocunque a Dissidentibus laedi, ullove vulnere labefactari committatis. Id accurata officii vestri ratio efflagitat, id existimatio, id probitas, id justitia, id semper vehemens Coetûs vestri pietas certatim sibi vindicant. Quid in Provincialibus Comitiis penè omnibus Fratres vestri super gravissimo Religionis negotio, vobis praeceperint nec ego ignoro, & vos probè recordari debetis. An ergò officio, & fidei deesse vos posse putabitis? An eam ipsam Religionem, cujus dignitatem paucis ab hinc diebus tantoperè suspiciebatis, cujus bonum communi assensu, atque adeò fremitu urgere videbamini, hodie a vobis vel parvi pendi, vel prorsus negligi obstupescemus? (u) *Currebatis bene, quid vos impedivit?* Estne aliquis vestrûm, qui tantam exprobrationem se mereri sentiat, qui à propositâ sententiâ turpiter discesserit? Ego verò neminem, planè neminem ex Polonis Legislatoribus ejus ignominiae reum existimavero; sed si quis fortè imprudenter defecisset, tu, Deus Optime Maxime, scrutator cordium ex errore in semitam jube ut revertatur; tu omnibus & singulis lucis tuae radium ita caelitùs infunde, ut intelligant in solâ tuâ Religione veram gloriam, veram utilitatem contineri; tu denique omnipotenter perfice, ut Catholicam Fidem de cunctis Dissidentum minis, ac perturbationibus triumphare in hoc Regno videamus. Dixi: (x) *Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam;* (y) *vos quae & didicistis, & audistis haec agite, & Deus pacis erit vobiscum.*

(r) Luc. 12. 31. (s) ex Epist. Cath. Sancti Barnabae Apost. 11. 21. (t) Prov. 3. 26. (u) Gal. 5. 7. (x) 2. Reg. 23. 2. (y) Phil. 4. 9.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0024467